

**RESPONSA PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO**

D. Utrum religiosi, Romanae Rotae Praelati Auditores nominati, exempti habendi sint ab Ordinario religioso et ab obligationibus, quae e professione religiosa promanant, ad instar religiosorum ad Episcopatum evectorum.

R. Negative ad utrumque, salvis iis quae ad exercitium proprii officii spectant¹.

ADNOTATIONES

1. *Praelati Auditores Romanae Rotae, de quibus in responso Pontificiae Commissionis, olim vocati "Capellani auditores causarum sacri palatii apostolici" vel "causarum curiae domini papae"*², quibus

¹ Responsum Coetus Plenarii Commissionis diei 19 ianuarii 1988 approbatum in Audientia diei 23 maii 1988, promulgatum in AAS 80 (1988) 1819, in fasc. N. 13, diei 12 decembris 1988.

² Cf. CERCHIARI E., *Capellani Papae et Apostolicae Sedis Auditores causarum Sacri Palatii Apostolici seu Sacra Romana Rota ab origine ad diem usque 20 septembris 1870*, vol. I, Romae, 1921, pp. 34 ss.

De origine et historia Rotae Romanae, cuius initia exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII ponuntur - cf. SCHNEIDER F.E., *Die Römische Rota nach geltendem Recht auf geschichtlicher Grundlage*. Bd. I: *Die Verfassung der Rota*, Paderborn, 1914, pp. 3 ss.; IUNG N., *Auditeur (de Rote)*, in *Dictionnaire de Droit Canonique*, t. I (Paris, 1935), coll. 1403 ss.; KURTSCHIED B., *De quibusdam Praelatis Romanae Curiae: de Collegio Praelatorum*

initio huius Tribunalis (saec. XII-XIII) solummodo cognitio causae committi solebat (inde "auditores")³, postea etiam eius definitio per sententiam, etiamsi "de suorum coauditorum consilio"⁴, hodie eiusdem

Auditorum S. Romanae Rotae, in *Apollinaris*, 8 (1935) 559 ss.; NACHTMAN W., *Trybunał Roty Rzymskiej. Historia, organizacja, postępowanie*, Lublin, 1957, pp. 17 ss.; LEFEBVRE Ch., *Rote Romaine (Tribunal de la Sainte)*, in *Dictionnaire de Droit Canonique*, t. VII (Paris, 1965), coll. 743 ss.; DEL RE N., *La Curia Romana. Lineamenti storico-giuridici*, Roma 1970³, pp. 243 ss.; DOLEZALEK G.-NOERR K.W., *Die Rechtsprechungssammlungen der Mittelalterlichen Rota*, in *Handbuch der Quellen und Literatur der neueren europäischen Privatrechtsgeschichte*, Bd. I, München, 1973, pp. 849 ss.

³ Cf. X. I, 29, 27 § 1: «Verum quum totam causam committit alicui..., ab eo tamquam a iudice potest licite provocari. Quum autem alicui medium tantum committit, ab ipso tamquam ab *auditore* provocari non potest» (Innocentius III, an. 1204).

De commissione «medii causae» seu eius instructoriae Capellani Papae - cf. X. II, 22, 10; X. V. 33, 15.

Notandum est nec Auditores habituales seu generales a tempore Innocentii IV (1243-1254) sententiam ferre valuisse sine mandato speciali, prout refert GUILIEMUS DURANTIS, qui ipse Auditor fuit: «ipsi (auditores sacri palatii) sunt quasi ordinarii et universitas causarum audiendarum est ipsis commissa, ut ex generali commissione audiant vice domini papae causas... licet non possint aliquid sine eius speciali mandato scilicet ei facta prius relatione fideli» (*Speculum*, lib. I *de iud. deleg.* § 2, n. 9).

⁴ A fine saec. XIII Auditoribus iam frequentius committebatur definitio causae per sententiam, et in causis difficilioribus, "de suorum coauditorum consilio". Cf. *Reg. Gregorii X*, n. 1050; *Reg. Bonifatii VIII*, n. 4182 (ep. 16 iun. 1301): «super premissis coauditoribus suis dicti palatii relatione fideli, de ipsorum consilio, interloquendo pronuntiavit»; KURTSCHIED B., *De quibusdam Praelatis* (supra nt. 2), p. 561; LEFEBVRE Ch., *Rote Romaine* (supra nt. 2), coll. 743-744.

Post Gregorium X (1271-1276) mos invaluit collegialiter procedendi, quem Ioannes XXII const. *Ratio iuris* a. 1331 (*Bullarium Romanum*, ed. Taurinen., t. IV, Augustae-Taurinorum,

Tribunalis Apostolici *Iudices* dicuntur⁵, «probata doctrina et experientia pollentes atque e variis terrarum orbis partibus a Summo Pontifice selecti», qui Collegium constituunt, cui praeest «Decanus ad certum tempus a Summo Pontifice ex ipsis Iudicibus pariter nominatus»⁶.

In percursu historico Rotae Romanae, quae usque ad promulgationem Codicis a. 1983 etiam «Sacra» vocabatur⁷, Auditores a Romano Pontifice seligebantur potissimum e clero saeculari, videlicet e presbyteris, diaconis⁸ vel saltem tonsura insignitis⁹,

1859, pp. 317-323) confirmavit ac Tribunal certis iam ordinavit normis.

At nomen *Rota* ad indicandum Tribunal occurrit primum in collectione decisionum THOMAE FASTOLI, Auditoris an. 1336. Hoc nomine primus usus est Martinus V in bulla «*Romani Pontificis providentia*» (an. 1423), § 27: «...et ab ingressu *Rotae* suspendatur per mensem; et idem de iudicibus aliis extra *Rotam* praecipimus observari» (*Bullarium Romanum*, ed. Taurinen., t. IV, p. 713).

⁵ Ioannes Paulus PP. II, Const. Apost. *Pastor Bonus*, 28 iunii 1988, art. 127: «Huius Tribunalis *Iudices*...», in AAS 80 (1988) 893.

Sed nomen «Auditor» adhuc manet in Codice - cf. can. 1445, § 1, n. 3: «exceptiones suspicionis aliasque causas contra *Auditores Rotae Romanae*...».

⁶ Const. Apost. *Pastor Bonus*, art. 127 (p. 893).

⁷ Coetus Studiorum *De Processibus* in adunatione diei 16 maii 1978 suggestit «ut deleatur verbum «sacra». Propositio placet Consultoribus ita ut in toto Codice hoc tribunal apostolicum semper vocetur «Rota Romana»» (*Communicationes*, 10 [1978] 245).

⁸ Cf. CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. IV, p. 145.

⁹ Cf. SCHNEIDER F.E., *Die Römische Rota* (supra nt. 2), p. 98; CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. IV, p. 108; 112.

etiamsi Collegio Rotali etiam clericus regularis¹⁰ haud semper defuisse videretur.

Nam vetus consuetudo, constitutionibus Romanorum Pontificum confirmata, ad qualitates candidatorum spectabat, quae potissimum respiciebant doctrinam iuris et morum honestatem, nullumque induxit vetitum pro clericis religiosis.

Ita enim Martinus V const. *In Apostolicae dignitatis* (1 sept. 1418) statuit ne quis deinceps «causarum Palatii Apostolici in Auditorem» reciperetur, nisi «doctor fuerit iuris famosus» et post doctoratum per triennium saltem legerit in eodem, deinde «de vita ac morum honestate aliisque virtutibus» commendatus fuerit atque immunis a munerum acceptione¹¹.

Sed constitutio Martiniana eodem tempore requisivit ut electurus in Auditorem heberet redditum annuatim 200 florenos auri de Camera sive ex beneficio sive ex patrimonio¹², quod haud dubie clericis religiosis aditum ad hoc munus praecludebat. Antea enim ita non fuit, quatenus, sicut quis ad rem probat, «Romani Pontifices et labores ingentes quos Capellani Auditores ferebant considerantes, et aequae pendentes maximas illorum dignitatis exigentias quibus ut fieret satis ingens pecuniae vis necessaria erat, eis pinguiora ecclesiastica beneficia concedere consueverunt, etiamsi ipsi alicuius Religionis fuissent alumni. Exemplo sit inter ceteros, *Gulielmus Durandi*, Speculator, qui etsi Dominicanus esset, nihilominus fuit Decanus ecclesiae Carnoten»¹³.

¹⁰ Exemplo fieri potest «inter alios» Guilelmus DURANTIS cognomento SPECULATOR - CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. I, p. 306; vol. IV, p. 14.

¹¹ *Bullarium Romanum*, ed. Taurinen., t. IV, p. 684, § 14.

¹² *Ibid.*

¹³ CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), p. 306.

Nihilominis tamen sicut super ceteris requisitis dispensatio pontificia obtineri poterat, ex. gr. super triennio lecture¹⁴ et super laurea doctorali in utroque iure postea inducta¹⁵, immo ipsa nominatio haberi poterat improbatibus moribus haud obstantibus¹⁶, ita Romanus Pontifex etiam super 200 florenos interdum dispensabat¹⁷.

¹⁴ Ita fecit iam Eugenius IV - cf. CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. I, p. 73.

¹⁵ Sub Sixto IV (1471-84) frequentior fuit electio doctorum in utroque iure, et sub Iulio II (1503-1513) omnes Auditores iam doctores in utroque iure praedicabantur. Quidam coacti erant doctoratum in utroque iure assequi ante nominationem in munus Auditoris - cf. CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. I, p. 72; vol. II, p. 82.

Dum *Lex propria S.R. Rotae et Signaturae Apostolicae* d. 29 iun. 1908, can. 1, § 2, statuit ut Auditores «laurea doctorali saltem in theologia et iure canonico praediti» essent (AAS 1 [1909] 20), can. 1598, § 2 CIC a. 1917 resumpsit antiquum requisitum laureae doctoralis «in utroque saltem iure». Ita fecerunt etiam *Normae Sacrae Romanae Rotae Tribunalis* d. 29 iun. 1934, art. 2, § 1 (AAS 26 [1934] 451); *Nuove Norme del Tribunale della Sacra Romana Rota*, 27 maggio 1969, art. 2, § 1 (Tip. Pol. Vaticana, 1969, p. 5); *Normae Sacrae Romanae Rotae Tribunalis* d. 16 ian. 1982, art. 3, § 1 (AAS 74 [1982] 491).

¹⁶ Ita Sixtus IV a. 1482 nominavit Franciscum Brevium, clericum venetum, quem «ob plura illi impicta crimina et accusationes Auditores eum recipere nolebant; sed Sixtus IV illum voluit admitti utcumque, sprete quavis Rotae constitutionum observantia, et, comminatione excommunicationis poenae, Auditorum demum fracta oppositione, admissus fuit die 3 dec. 1482». Qui postea promotus est ad episcopatum Ceneten. et factus est dein Nuncius Apostolicus in Hispania - cf. CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. II, pp. 70-71.

¹⁷ CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. II, p. 70. Notatu dignum in nominatione Auditoris rigore observatam fuisse consuetudinem circa *legitimitatem natalium*, quam confirmaverunt etiam *Normae* a. 1934 in art. 2, § 1: «Auditores sacerdotes sint oportet, *ex legitimo matrimonio nati*» (AAS 26 [1934] 451). At *Normae* posteriores hoc requisitum removerunt.

Alia ex parte necessitas propriae sustentationis in Curia e propriis vel ecclesiasticis bonis insuperabilis non videbatur, si perspiciatur quod Auditoribus persolvebantur sportulae seu propinae a litigantibus, honoraria a Notariis, salaria a Camera Apostolica, donec agnita est eis menstrua summa scutorum 1000, inter praesentes dividenda atque honorarium 600 scutorum pro adsistentia Cappellis Pontificiis¹⁸. Auditores vero nationales a guberniis suarum Civitatum stipendia recipiebant¹⁹.

Haec praxis in nova Rotae Romanae ordinatione a S. Pio X (1908) confirmata est, attento quod *Ordo servandus* omnibus administris S. Congregationum, Tribunalium et Officiorum Curiae Romanae certum stipendium menstruum et ad honestam sustentationem sufficiens agnovit²⁰. Quare apud restauratam Rotam Romanam in munus Auditoris recepti sunt et adhuc recipiuntur sive sacerdotes²¹ saeculares, sive

¹⁸ Cf. CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. I, pp. 307-310.

Notandum est post const. Martini V exortum esse styllum seligendi Auditores nonnisi *e familiis nobilibus* et fortunae amplioribus, quamquam nulla lex scripta hac de re lata est. Defectus nobilitatis natalium Romanus Pontifex supplebat elevatione ad nobilitatem candidati in Auditorem. Cf. CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. I, p. 78.

¹⁹ Cf. CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. I, p. 310; NACHTMAN W., *Trybunal Roty Rzymskiej* (supra nt. 2), p. 48.

²⁰ *Ordo servandus in S. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae*, 29 iunii - 29 sept. 1908, cap. V, n. 1: «Administri omnes certo stipendio, eoque menstruo et ad honestam sustentationem sufficienti, fruuntur ex aerario Sanctae Sedis» (AAS 1 [1909] 507).

²¹ Requisitum sacerdotii introduxit *Lex propria S.R. Rotae*, can. 1, § 2: «Hi sacerdotes esse debent, maturae aetatis, laurea doctorali saltem in theologia et iure canonico praediti, honestate vitae, prudentia et iuris peritia praeclari» (supra nt. 15), quod

religiosi seu institutorum vitae consecratae vel sodales societatum vitae apostolicae²².

2. At non statim orta est quaestio de conditione iuridica Auditoris religiosi. Nam sub vetere Codice sacerdotes religiosi nominati Praelati Auditores Rotae Romanae pacifice retinebant eandam conditionem iuridicam cum Auditoribus e clero saeculari selectis. Secus enim ac media aetate, ubi de variis ordinibus ac gradibus Auditorum sermo erat²³, nunc omnes Auditores inter se pares habentur dignitate et potestate iudiciali²⁴.

dein transiit in can. 1598, § 2 CIC a. 1917, in art. 2, § 1 Norm. SRR a. 1934, in art. 2, § 1 Nuove Norme a. 1969 et in art. 3, § 1 Norm. SRR a. 1982 (supra nt. 15).

²² Ita ex. gr. Stefanus MANY, e Societate Presb. a S. Sulpitio (P.S.S.), Auditor Rotae nominatus est iam d. 29 iunii 1908; ex eadem Societate item Andreas JULLIEN d. 1 sept. 1922; e Confederatione Oratorii S. Philippi Neri (d.O) selectus d. 23 maii 1924 Henricus QUATTROCOLO; e Societate Apostolatus Catholici (S.A.C.) selectus d. 23 febr. 1926 Arcturus WYNEN; e Congregatione a S. Cruce (C.S.S.) nominatus d. 16 nov. 1948 Guillelmus DOHENY; e Congregatione Missionis (C.M.) selectus d. 17 martii 1968 Antonius CZAPLA; e Societate Mariae Monfortana (S.M.M.) selectus d. 27 martii 1972 Dorius-Maria HUOT, et ita porro. Cf. *Biografie degli Ill.mi e Rev.mi Monss. Uditori della S.R. Rota dalla sua restituzione*, vol. I (Archiv. Decani).

²³ Initio saec. XIV inter Auditores tres adfuisse gradus constat. Cf. CERCHIARI E., *Capellani Papae* (supra nt. 2), vol. I, p. 218; SCHNEIDER F.E., *Die Römische Rota* (supra nt. 2), p. 53; KURTSCHIED B., *De quibusdam Praelatis* (supra nt. 2), pp. 561-562; LEFEBVRE Ch., *Rote Romaine* (supra nt. 2), coll. 744-745. Ex. gr.: «Nosque causam appellationis huiusmodi dilecto filio Magistro Aymerico Gerardi, Archidiacono Elnen., Capellano Nostro, Auditori causarum tercii gradus Palatii supradicti, audiendam commisimus et fine debito terminandam» (*Reg. Benedicti XII*; cit. apud CERCHIARI E., *Capellani Papae* [supra nt. 2], vol. I, p. 218).

²⁴ De paritate Auditorum expresse egit *Lex propria S.R. Rotae*, can. 2, § 2: «S. Rota Collegium constituit, cui praesidet

Sed cum frequentioribus sacerdotum religiosorum in munus Auditoris nominationibus aliquis forsitan ex rationibus indolis practicae percontatus est circa illorum specificam relationem ad Ordinarium religiosum, utrum videlicet ab Ordinario religioso exempti haberi deberent nec non ab obligationibus e professione religiosa promanantibus ad instar religiosorum ad Episcopatum evektorum.

a) In favorem exemptionis interdum invocata est hac in re persistens *consuetudo particularis*, sub Codice Pio-Benedictino efformata, iuxta quam sacerdotes religiosi nominati Auditores Rotae Romanae semper habebantur exempti a iurisdictione Superiorum religiosorum, scilicet aequo iure ac sacerdotes saeculares a suis Ordinariis locorum, et ita continenter sese gerebant²⁵.

Praeter hanc consuetudinem nec interruptam neque reprobata a Legislatore, religiosus factus Auditor Rotae gaudere dicebatur, ratione sui muneris, speciali conditione iuridica ac religiosus ad episcopatum evectus, de quo nunc agit can. 705²⁶. Idque obvenit vi *applicationis analogicae* praedictae

Decanus, qui primus est *inter pares*» (supra nt. 15); deinde can. 1598, § 1 CIC a. 1917; art. 1 *Norm. SRR* a. 1934; art. 1, § 1 *Nuove Norme*; art. 1 *Norm. SRR* a. 1982 (supra nt. 15). Notandum est locutionem «primus inter pares» non amplius inveniri in can. 1443 Codicis a. 1983 nec in art. 127 Const. Apost. *Pastor Bonus* (supra nt. 5).

²⁵ Quoad consuetudinem cf. can. 26; URRUTIA F.J., *De normis generalibus*, Romae, 1983, pp. 25-26.

²⁶ Quamvis in cann. 705-707 Codex nunc vigens tractet «De religiosis ad episcopatum evectis» (cap. VII), non vero «ad ecclesiasticam dignitatem», sicut cautum est in cann. 626-631 Codicis Pio-Benedictini, tempore codificationis tamen heic includi videbantur etiam «ad dignitatem episcopalem vel aliam extra proprium Institutum promoti» (*Communicationes* 13 [1981] 363).

normae²⁷. Nam officium Auditoris seu Iudicis Tribunalis Sedis Apostolicae secumfert exercitium potestatis iudicialis²⁸, quae extenditur etiam in Abbatem primatem, vel Abbatem superiorem congregationis monasticae, et supremum Moderatorem institutorum religiosorum iuris pontificii (can. 1405, § 3, 2^o), cui Auditor, uti religiosus, subiectus esset si ab eius iurisdictione non eximeretur ratione muneris.

Ea de causa religiosus nominatus Auditor Rotae, sicut ille ad episcopatum evectus, licet instituti sui sodalis remaneat, «vi tamen voti oboedientiae uni Romano Pontifici obnoxius est, et obligationibus non adstringitur, quas ipse prudenter iudicet cum sua conditione componi non posse» (can. 705).

Ratione igitur officii Auditor religiosus exemptus esse debet, ut quidam postulabat, tum ab obligatione vitae communis (cann. 602; 607, § 2) tum a voto paupertatis (cann. 573, § 2; 598, § 1), videlicet in quantum muneris exercitium id exigit iuxta suum prudens iudicium, et vi voti oboedientiae Romano Pontifici solummodo submittitur²⁹.

²⁷ Can. 19. Iuxta hanc opinionem praescriptum can. 705 esset lex lata in similibus, inde ope analogiae legis applicari deberet etiam Auditori religioso.

Aliud est autem si agatur de applicatione cann. 705-707 ad eos qui «Episcopo dioecesano in iure aequiparantur» (can. 381, § 2) vel qui sunt «ad instar Episcopi dioecesani» (can. 370) - cf. BEYER J., *Le droit de la vie consacrée*. Instituts et sociétés, Paris, 1988, p. 206.

²⁸ Iudices Rotae exercent potestatem iudicalem ordinariam sed vicariam. Cf. cann. 131, § 2; 135, § 3; 360; 1405, § 3; 1444; artt. 128-129 Const. Apost. *Pastor Bonus* (supra nt. 5). At Summi Pontificis approbationi non subiciuntur sententiae Tribunalis Rotae Romanae intra limites propriae competentiae latae - cf. art. 18 Const. Apost. *Pastor Bonus* (supra nt. 5), p. 864.

²⁹ Quaestio de inhabilitate religiosi ad dignitates et officia, quae cum statu religioso componi non possunt (cf. can. 626, § 1

b) Deinde Auditor religiosus statim ut iuramentum praestat, in Rotale Collegium adscitus manet et «iuribus ac privilegiis fruitur Auditorum S.R. Rotae propriis»³⁰, consequenter igitur etiam *privilegio exemptionis*, de quo n. LXXI const. apost. «Ad incrementum decoris» ita statuit:

*«Statim a sua nominatione Auditores, ipso facto fiunt Praelati Domestici et Familiares Summi Pontificis et hanc dignitatem retinent quamdiu munere Auditorum funguntur vel cum emeriti declarantur. Eximuntur insuper a iurisdictione Ordinariorum locorum»*³¹.

Quamvis hac constitutione cautum sit de Auditorum exemptione a iurisdictione Ordinariorum locorum, nihilominus quidam opinabantur privilegium huiusmodi, vi applicationis analogicae (can. 19), in casu Auditoris religiosi amplecti quoque exemptionem a iurisdictione Ordinariorum simpliciter seu Superiorum maiorum, de quibus sermo est in can. 134, § 2 CIC.

Namque S. Pius X in audientia Decano tunc «Sacrae Romanae Rotae» concessa die 26 iulii a. 1913, recensitis antea concessis privilegiis, haec insuper de Auditoribus statuit:

CIC a. 1917), quatenus detrahant a stabilitate vitae religiosae et a totali votorum observatione, heic non ponitur, quia de nominatione a Romano Pontifice facta agitur. Cf. MOROSITZ J.J., *Obligations and Privileges of Religious Promoted to the Episcopal or Cardinalitial Dignities*, Washington, 1948, pp. 60 ss.

³⁰ Art. 15, § 1 *Norm. SRR* a. 1982 (supra nt. 15), p. 495.

³¹ Pius PP. XI, Const. Apost. *Ad incrementum decoris. De quibusdam Praelatis Romanae Curiae et variis eorum ordinibus*, 15 augusti 1934, n. LXXI, in AAS 26 (1934) 510. Notandum est nn. LXXI-LXXXIII positos fuisse sub titulo «*Privilegia*» - AAS 26 (1934) 510-512.

«*Sunt exempti, immunitate personali, ab Ordinariorum iurisdictione iuxta concessionem Clementis VI, per const. d. l. iul. a. 1349, quam confirmavit Clemens VII, bulla "Convenit aequitati" d. 5 aug. a. 1525, edicens, DD. Auditores immunes "ab omni iurisdictione, correctione, visitatione... et potestate quorumcumque Legatorum etiam a latere ac Archiepiscoporum, Episcoporum, Praelatorum et Ordinariorum illorumque Vicariorum"*»³²

Quod documentum, sicut quidam haud immerito contendebant, fontem constituit adhuc vigentis privilegii exemptionis (can. 4) et extensioni exemptionis Auditoris religiosi a suo Ordinario fortiter favet. Ceteroqui nec memorata superius constitutio «*Ad incrementum decoris*» ullam induxit inter Auditores distinctionem, quos immo inter se pares habuit, ordinem tenentes tantum ratione nominationis³³.

3. Non omnes tamen, sicut deduci potest e responso Pontificiae Commissionis, de exemptione Auditoris religiosi ab Ordinario religioso nec non a respectivis obligationibus vitae religiosae sibi persuasum habuerunt. Quin immo visum est fortasse nonnullis alienam esse a spiritu iuris canonici positionem iuridicam Auditoris religiosi, vi nominationis indultum exclaurationis assequentis. Iamvero contra assertam exemptionem varia quoque argumenta adduci poterant.

a) Ex adverso sane aliquis argumentabatur *de consuetudine* exemptionem inducente sensu stricto

³² Haec privilegia, in audientia concessa M. LEGA, Decano, refert WERNZ F.X., *Ius Decretalium*, t. V, Prati, 1914, pp. 75-79 in nota 53.

³³ Cf. Const. Apost. *Ad incrementum decoris*, n. LX (supra nt. 31), p. 509: «...gradu pari hi sunt et Decani titulum assumit qui sociis nominatione etc. praecedit».

loqui non posse, quia consuetudo vim legis habens a communitate fidelium saltem distributive sumpta, seu a determinata classi aut categoria membrorum, introduci debet³⁴. Collegium autem Auditorum numquam classem religiosorum constituerebat, ne distributive sumptam, quatenus in historia Rotae restauratae, id est ab a. 1908, praesentia singulorum tantum sodalium societatum vitae apostolicae et religiosorum in Rotali Collegio notabatur, exceptis ultimis annis, in quibus maiorem numerum Auditorum attingit³⁵.

Nec *praescriptum can. 705*, episcopum religiosum respiciens, applicari potest, ut aliquis affirmabat, Auditori religioso, attenta potissimum diversitate configurationis uniuscuiusque muneris.

Episcopus enim vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii capite et membris constituitur membrum Corporis episcopalis³⁶. Quare religiosus ad episcopatum evectus, quamvis indultum saecularizationis non obtineat et instituti sui sodalis remaneat, nihilominus ob peculiare vinculum communionis cum Romano Pontifice, Capite Collegii Episcoporum, ab aliis vinculis subiectionis nec non ab ordine interno sui instituti liberatur, et vi voti oboedientiae «uni Romano Pontifici obnoxius est» (can. 705); de ceterarum autem obligationum observantia ipse iudicare debet³⁷.

³⁴ Cf. MICHIELS G., *Normae generales juris canonici*, vol. II, Parisiis-Tornaci-Romae, 1949², pp. 55 ss. Cf. etiam can. 23.

³⁵ Ita anno 1986 notabantur: 2 Franciscani, 1 Salesianus, 1 Monfortanus. Cf. *Annuario Pontificio per l'anno 1988*, Città del Vaticano, 1988, p. 1095.

³⁶ Conc. Oec. Vaticanum II, Const. dogm. *Lumen Gentium*, nn. 21-22; can. 336. Cf. etiam can. 375, § 2.

³⁷ Cf. BEYER J., *Le droit de la vie consacrée* (supra nt. 27), pp. 203 ss.

Sed religiosi nominatio in munus Auditoris, quamvis includat eum in Rotale Collegium et conferat ei potestatem iudicalem apud Tribunal Apostolicae Sedis exercendam, scilicet «participando — modo vicario — de ministerio Petriano»³⁸, verumtamen non coniungit eum hierarchicae communionis nexu cum Romano Pontifice et cum Collegio Episcoporum, ideoque nec liberat ab obligationibus vitae religiosae neque voto oboedientiae, secus ac in casu episcopi religiosi, submittit eum uni Romano Pontifici, salvis utique iis, quae ad officium Auditoris seu Iudicis spectant.

Nam et religiosi «in externum apostolatam immissi», sicut monet Concilium Vaticanum II, «spiritu religionis propriae imbuti sint, atque fideles permanent regulari observantiae et subiectioni erga proprios Superiores»³⁹.

b) Alia ex parte nec sacerdotis saecularis in munus Auditoris nominatio per se ac ratione solius officii a iurisdictione sui Ordinarii eximit, quia, ut supra diximus (2b), Pius XI Constitutione apost. «Ad incrementum decoris» talem exemptionem ad modum *privilegii* confirmavit⁴⁰. Praeter exemptionis privilegium, alia inibi concessa vi can. 4 integra manent, alia autem iam sub Codice vetere abrogata sunt. Ita ex. gr. Auditores seu Iudices non amplius vocari possunt

³⁸ Ioannes Paulus PP. II, *Alloc. ad R. Rotae praelatos auditores coram admissos*, 30 ian. 1986, n. 5: in AAS 78 (1986) 924.

³⁹ Conc. Oec. Vaticanum II, *Decr. Christus Dominus*, n. 35,2.

⁴⁰ N. LXXI cit. Const. Apost., ut supra dictum est (supra nt. 31), pertinet ad *Privilegia*, quae Collegio Praelatorum Auditorum Romanae Rotae concessa sunt.

«Praelati Domestici et Familiares Summi Pontificis», quia nunc inter Praelatos «ordine minores» seu Honorarios enumerantur⁴¹, nonnisi ad Cappellam Romani Pontificis pertinent⁴² et iure pontificalium non gaudent⁴³.

Attamen privilegium exemptionis pro Auditoribus e presbyteris saecularibus selectis absolutum non est. Nam sacerdotes saeculares nominati Auditores haud dubie servant vinculum cum Ordinario proprio ratione incardinationis, quatenus etiam durante munere propriae dioecesi incardinati manent (can. 266, § 1). Utique ratione muneris Iudicis Tribunalis Sedis Apostolicae et munere perdurante «in singulis localibus fidelium congregationibus» episcopum suum

⁴¹ Secreteria Status seu Papalis, *Instructio circa vestes, titulos et insignia Cardinalium, Episcoporum et Praelatorum ordine minorum*, 31 martii 1969, sub n. 18 inter «Praelatos ordine minores» enumerat: «Auditores Sacrae Romanae Rotae», in AAS 61 (1969) 337.

De titulis honorum ecclesiasticorum - cf. Pauli PP. VI, Litt. Apost. M.P. *Pontificalis Domus*, 28 martii 1968, n. 8: «Tituli honorum ecclesiasticorum posthac tres tantummodo gradus admittent, scilicet *Protonotarios Apostolicos* (de numero et supra numerum), *Praelatos Honorarios* Sanctitatis Suae et *Cappellanos* Sanctitatis Suae. Ceteri gradus tolluntur»: AAS 60 (1968) 314.

⁴² In nova *Pontificalis Domus* ordinatione (supra nt. 41), n. 6, § 1, p. 310 «Auditores Sacrae Romanae Rotae» pertinent nonnisi ad «Cappellam Pontificiam», et non ad «Pontificiam Familiam».

⁴³ Iuxta n. LXXIII Const. Apost. *Ad incrementum decoris* (supra nt. 31), p. 511, Auditores Rotae gaudebant «iure Pontificalium eodem modo atque de Protonotariis Apostolicis de numero Participantium dictum est». Sed Paulus PP. VI, Litt. Apost. M.P. *Pontificalia insignia*, 21 iulii 1968, n. 6, in AAS 60 (1968) 377 - abrogavit hanc «facultatem», id est «insignibus pontificalibus utendi», exceptis iis, qui nominati sunt «ante has praesentes Litteras Apostolicas».

praesentem haud reddunt, quia eius «munera et sollicitudinem pro parte» nec suscipiunt neque cura cotidiana exercent⁴⁴. Nam vi privilegii exemptionis a vinculo ministerialis servitii dioecesi incardinationis subducuntur quamdiu munus exerceant vel si emeriti declarentur⁴⁵.

Sed privilegium exemptionis, ut quis opinabatur, ratione subiecti passivi in Auditorem religiosum non extenditur nec extendi potest vi applicationis analogicae.

Is enim etsi ratione officii ipso facto sit Praelatus ordine minor⁴⁶, non solum tamen instituto vel societati incardinatus manet (can. 266, § 2), sed etiam, ratione status perfectionis et consecrationis Deo per consilia evangelica, qui «ad vitam et sanctitatem Ecclesiae pertinet» (can. 574, § 1), ab integro subicitur ordini interno instituti et Superiori erga eum «vices Dei» gerenti (can. 601), exceptis iis quae ad exercitium officii iudicialis pertinent. Nam et religiosus exclaustratus, quamvis ab obligationibus, quae cum nova vitae conditione componi nequeunt, exoneratus sit, manet tamen sub dependentia et cura «suo-

⁴⁴ Conc. Oec. Vaticanum II, Const. dogm. *Lumen Gentium*, n. 28. Cf. PHILIPS G., *La Chiesa e il suo mistero nel Concilio Vaticano II*, tr. ital. (Milano, 1986 rist.), p. 320: «...i sacerdoti rendono presente il vescovo nei gruppi locali, che non sono necessariamente delle parrocchie, ma possono presentare altre forme organizzative; ad esempio, i sacerdoti impegnati nell'insegnamento, le opere giovanili, i movimenti sociali e caritativi, ecc. In queste diverse situazioni essi adempiono, per quanto riguarda il servizio quotidiano, la missione del vescovo...».

⁴⁵ Cf. n. LXXI Const. Apost. *Ad incrementum decoris* (supra nt. 31), p. 510.

⁴⁶ Cf. *Instr. Secretariae Status seu Papalis* (supra nt.41), n. 18, p. 337.

rum Superiorum et etiam Ordinarii loci, praesertim si de clerico agatur» (can. 687). Quare nec indultum exclaurationis, quodsi nominatio Auditoris secum ferret, religiosum eximeret a suo Ordinario.

4. Coram id genus argumentationibus, quae proponi poterant, Pontificia Commissio (nunc mutata in "Pontificium Consilium de legum textibus interpretandis") ad dubium penes vitae consuetudinem ortum circa exemptionem Auditoris religiosi ab Ordinario religioso nec non ab obligationibus e professione religiosa manantibus ad instar religiosi ad episcopatum evecti, respondit «Negative ad utrumque», salvis iis quae ad exercitium proprii officii Iudicis Tribunalis Apostolicae Sedis spectant.

Patet igitur in dubii solutione praevaluisse argumenta contra pacifice instauratam praxim exemptionis Auditoris religiosi a suo Ordinario et ab obligationibus vitae religiosae incompatibilibus, ipsius iudicio, cum officio iudiciali.

Attamen non dubitari debet, quin Auditori religioso, eodem iure ac illi saeculari, spectet usus tituli «Monsignore», qui coniungi poterit cum adiectivo nomine «Reverendissimo»⁴⁷, cum ad Praelatos ordine minores pertineat⁴⁸, nec non usus vestis talaris violacei coloris, mantelleti seu pallii violacei aliorumque insigniorum ac vestium, de quibus in Instructione

⁴⁷ *Ibid.*, n. 25, p. 339: «Etiam pro Praelatis, quorum mentio facta est ad N. 18, titulus *Monsignore* coniungi poterit cum adiectivo nomine "Reverendissimo". Decanus Sacrae Romanae Rotae atque... ornari poterunt titulo "Excellentiae", quin tamen eidem titulus "Reverendissimus" addatur».

⁴⁸ *Ibid.*, n. 18, p. 337 sub tit. C: «Pro Praelatis ordine minoribus».

Secretariae Status seu Papalis d. 31 martii a. 1969⁴⁹, etiamsi remaneat sodalis instituti religiosi et obnoxius sit iurisdictioni Superioris maioris.

Hoc autem responso Pontificiae Commissionis procul dubio confirmata est mens et voluntas Legislatoris fideliter conservandi in Ecclesia donum a Domino acceptum, videlicet «consilia evangelica in Christi Magistri doctrina et exemplis fundata» (can. 575) atque fovendi et promovendi statum eorum, «qui in huiusmodi institutis consilia evangelica profitentur», quatenus «ad vitam et sanctitatem Ecclesiae pertinet» (can. 574, § 1).

Utique Superior religiosus Auditori sodali suo impedire non valet exercitium officii iudicialis penes Rotam Romanam neque sub pretextu potestatis exercendae in subditum sese immiscere muneri ab eodem sodali fideliter adimplendo, quia in iis quae ad officium spectant exemptus manet a quacumque Superioris sui ingerentia.

Sed ad ordinem internum instituti et ad vitam religiosam quod spectat, Auditor religiosus per se omnibus obligationibus e professione religiosa manantibus adstringitur, sive quod attinet ad oboedientiam (can. 601), castitatem (cann. 599; 672; 666) et paupertatem (cann. 600; 668), sive quoad vitam communem in domo religiosa ducendam (cann. 602; 607, § 2; 665, § 1).

Nemo tamen ignorat conflictus internos oriri posse circa compatibilitatem quarundam obligationum, prout oboedientiae, vitae communis et paupertatis cum exigentiis officii Auditoris.

Etenim secus ac religiosus ad episcopatum evectus ipse prudenter iudicare debet, quaenam obligatio-

⁴⁹ *Ibid.*, n. 18, pp. 337-338.

nes componi possint cum sua conditione (can. 705), exstantibus etiam normis peculiaribus circa usum et administrationem bonorum (can. 706), religiosus Auditor id facere non potest, quia voto oboedientiae Superiori maiori iuxta proprias constitutiones obnoxius manet, cuius igitur erit decernere tum de modo servandi vitam communem a sodali Auditore in propria domo religiosa, concedendo etiam, si casus ferat et servatis de iure servandis ut extra domum instituti degere possit (can. 665, § 1), tum de modo servandi paupertatem et potissimum de usu et administratione bonorum.

Responsum Pontificiae Commissionis, sicut ex peculiaribus rerum adiunctis deduci potest, potius dubium practicum quam mere doctrinale solvit et praxim vigentem corripit, prohibens videlicet extensionem praescripti can. 705 ad conditionem iuridicam Auditoris religiosi, licet opinio communis assertam exemptionem multo magis detrahare conata sit de privilegio exemptionis Auditoribus concesso per memoratam superius constitutionem «Ad incrementum decoris».

Quo perpenso, interpretatio authentica hoc responso data non retrahitur (can. 16, § 2) et vim suam exserit a die 13 martii a. 1989.

Tandem aliquando quis legitime quaerere potest, utrum responsum Pontificiae Commissionis, de conditione iuridica Auditoris religiosi statuens, extendi debeat etiam ad Auditorem e sodalibus societatum vitae apostolicae selectum.

At iuxta principium «ubi eadem est legis ratio, ibi eadem est legis dispositio»⁵⁰, memoratum responsum

⁵⁰ MICHIELS G., *Normae generales* (supra nt. 34), vol. I, p. 535.

procul dubio extendi debet etiam ad Auditorem sodalem societatis vitae apostolicae.

Iamvero Auditor sodalis societatis vitae apostolicae, sicut ille religiosus, per nominationem pontificiam non adstringitur nexu hierarchicae communionis cum Romano Pontifice, ut solummodo ei obnoxius esse possit, excluso vinculo subiectionis suo Superiori maiori.

Alia ex parte sodales societatum vitae apostolicae, cum subsint propriis Moderatoribus ad normam constitutionum in iis quae ad vitam internam et disciplinam societatis spectant (can. 738, § 1), privilegio exemptionis Auditoribus dato memorata constitutione «Ad incrementum decoris» liberari nequeunt ab illorum iurisdictione, quia Superiores maiores societatum vitae apostolicae non veniunt nomine «Ordinarii loci» (can. 134, § 2), a quo, ut supra dictum est, exemptio concessa est.

Quare Auditor sodalis societatis vitae apostolicae exemptus haberi nequit a suo Ordinario et ab obligationibus e constitutione societatis manantibus, salvo iis quae ad exercitium proprii officii Iudicis Rotae Romanae spectant.

ANTONI STANKIEWICZ